

Ye  
3509





XI, 84.





Vitebergensia academica miscellanea.  
1580 - 1619.





XI



Adhortatio  
AD CELEBRAN-  
DA BACCHANALIA, SO-  
LENNITATEM EIVS FESTI  
ET PRAEMIA ID DEVOTE  
*celebrantium breviter  
enumerans.*



VITEBERGAE  
*Excusa typis Simonis Gronenbergii.*

1 5 8 0.



ADHORTATIO  
AD CELEBRANDA BAC-  
CHANALIA, SOLENNI-  
TATEM EIVS FESTI ET  
præmia id devotè celebranti-  
um breviter enumerans.

**R**URSUS ad insani pervenimus Orgia  
Bacchi,  
Orgia Cyclopum grata futura Cho-  
ro.  
Inscia curarum Bacchi quibus inclyta  
proles

Insano Numen concinet ore suum.

Hoc igitur sincera procul Pax tempore cede,  
Pacifidis hæc est namq; inimica dies.

Hinc procul ô Charites, procul hinc concedite Musæ,  
Ars habet hîc nullum nec Charis ulla locum.

Hic quoq; sperandum est tibi nil Tritonia læti,  
Dum resonat stolidis ebria turba modis.

Et tu, quam credunt moderari sceptrâ Regentum,  
Et regnis varias te penes esse vices,

Iuno vale, Bacchi non letatura diebus,

Hac luce Imperiis pestis acerba venit.

Ite procul Pietas, Virtus, morumq; venustas,

Et pudor, & quicquid nomen honoris habet.

Et Præceptorum pia quos reverentia tangit,

Et quorum laudis pectora tangit amor.

Inclyta

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



267

Inchyta mox Christi redi vivi festa sequentur,  
Morte quibus victa scandet ad astra DEVS.  
Tempore fas illo est Christi celebrare trophaea,  
Celsaq; letantes Tempora subire pios.  
Luce sed hac Bacchus justos sibi poscit honores,  
Ob meritum toto dignus in Orbe coli.  
Tangitur hic nullo verae Pietatis amore,  
Nulla decent istum Numina fausta diem.  
Mars ades hic igitur tanti pars maxima Festi,  
Muneribus Lux est nobilis ista tuis.  
Conjuge cum dira tristis Moderator Avernii,  
Tuq; senex stygiae Navita puppis ades.  
Huc Eris infestis comitata sororibus Orci,  
Quicquid & infaustum nomen & omen habet;  
Huc quoq; quo gaudet morum Silene Magistro  
Bacchus ad hanc turbam tu pede curre citò.  
Et vos ô Satyri, vos spurcaq; Numina Fauni  
Laetitiae comites Liber habere cupit.  
Huc Cytheraea veni comitante Cupidine caeco,  
Et quos praeterea tetra libido juvat.  
Vos quoq; Cyclopes & dedita turba Lyaeo,  
Pocula quis gratum est vertere magna meri,  
Et Praeceptorum qui spernitis inchyta iussa,  
Et quibus impietas barbariesq; placent,  
Currite. Nam vobis sua dedicat Orgia Bacchus,  
Vestrum igitur par est vos celebrare Ducem.  
Verum age, nonne sonos inflatasq; audio buxos?  
Currite, non lento currite quisq; gradu;

A 2

Oraq;



Oraꝫ corticibus præ tendite fœda cavatis,  
Et canite eximio carmina grata Deo.  
Tigribus ecce venit curruꝫ insignis eburno  
Eubius, insanos edite voce sonos.  
Ecce venit vobis juvenili fronte decorus,  
Flavescentesq; gerit, sicut Apollo, comas.  
Ecce venit teneris redimitus flava Corymbis  
Tempora, fert tremula poclaꝫ plena manu.  
Ora tument hydrope, caput tremor & quatit artus  
Horridus, atq; oculis flumina crebra cadunt.  
Condecorat Morphæa genas, torrentis & instar  
Naribus è tumidis en pituita fluit.  
Venter & inflatus, taboꝫ fluentia crura,  
Et quæ prætereà plura referre mora est.  
Ipsius extremum possent portendere fatum,  
Ultima si posset fata subire Deus.  
Vndiq; Rheda madet vomitu hesternòꝫ Lyæo,  
Atq; suo cunctas replet odore vias.  
Agmina præcedunt & plurima pone sequuntur,  
Cum quibus insana dicite voce melos:  
Salve Bacche Pater, tectis divertere nostris,  
S En tibi cum domibus pectora nostra patent.  
Te leti excipimus, tibi pocula magna coronis  
Cingimus, Hæc lux est tota in honore tuo.  
Salve Diva Iovis soboles, tua maximus Orbis  
Hoc celebri festo clara trophæa canit.  
Hoc tibi debemus quod habemus munera vini,  
Quicquid leticiæ est, munus id omne tuum est.  
Exiguum



**E**xiguum est Scythiae superatas Te auspice gentes,  
Exiguum est Indos & tua ferre iuga.

**E**ximios toto Tu ducis in Orbe triumphos,  
Incluta tu Mundi sceptrum Monarcha geris.

**N**ulla super regio est, quae non tua senserit arma,  
Viribus aut non sit debilitata tuis.

**V**t tibi mitescunt Lynces violentaq; Tygris  
Pantherae immanes ut tua frena ferunt:  
Subjicis imperio sic maxima quaeq; per Orbem,  
Et domitum vino est quicquid ubiq; ferum est.

**T**u subigis quicquid bello seu pace superbit,  
Principibus victis Tu dare jura soles.

**E**n tibi Nobilitas victori brachia tendit,  
En tendit victas rustica turba manus.

**E**n tibi regnanti jam secula plurima paret  
Quae male fert aridam Teutona terra sitim.

**O**mne hominum genus atq; omnis tibi subjacet aetas,  
Subjacet imperio sexus uterq; tuo.

**V**icta tibi Pietas, Virtus, Sapientia cedunt,  
Saepe trahis sanctos sub iuga dura viros.

**H**i quoq; qui Musas & Phoebi numen honorant,  
Et Vatum tribuunt nomen inane sibi,

**S**e tibi captivos tradunt, & carmine credunt  
Si bene poterint, quod bene Vena fluat.

**M**unere pro tanto letum Paena canentes  
Hunc tibi devoti degimus ecce diem.

**T**ale igitur Baccho depromite carmen ovantes,  
Atq; eat immensi clamor ad astra Poli.

A 3

Vt





Vt cū Cyclopas vastum Polyphemus ad antrum  
Convocat, et reddunt arva nemusq; sonum.  
Non tamen hoc satis est Numen celebrare boatu,  
Bacchantum gestus hæc quoq; festa decent.  
Qualis enim Dux est, tali quoq; milite gaudet,  
Et similes prorsus vos cupit esse sui.  
Ergò agite in versas de pelle assumite vestes,  
Et corpus variis dedecorate modis.  
Armati scopis & tecti lumina larvis  
Currite perq; vias, currite perq; domos.  
Et studiis sumtus si quos sudore paratos  
Impigro vestris misit uterq; Parens,  
Vosq; volunt morum numerare <sup>didactica</sup> Magistris,  
Debita & Hospitibus, quod pia jura monent.  
Primam horum partem Bombycum impendite telis,  
Institor hanc gemino præripiatq; stylo.  
Sed reliquum ludis conferte & perditæ: Laudem  
Hæc quia apud vestrum sunt meritoria Ducem.  
Nec Chelys hæc desit solenni luce sonora,  
Nec desit variis tibia flexa sonis.  
Obscænos gestus, violantia verba pudorem  
Promite, cū lateri juncta puella sedet.  
Impuros latices tenuesq; infundite ventri,  
Et fluat effuso sordida mensa mero.  
Dimidiis decus est cyathis concurrere parvum,  
Est decus impletos evacuare cados.  
Tali exercitio totam traducite lucem,  
Donec ab Oceano Luna reducat equos.

Postq̄



271.

Postquam igitur noctem produxerit Hesperus atram  
Præteritum Phæbus destituetque diem,  
Tempus erit totam vos discursare per urbem  
Civibus armatos & dare damna bonis.  
Expugnate domos, gladiis concurrite: Baccho  
Integra si maneat nulla fenestra placet.  
Præteritæ lucem sic continuate sequentem,  
Nam tales Baccho sunt alimenta vices.  
Cultibus his tandem dignos capietis honores,  
Dignaque pro factis præmia quisque feret.  
Nam nisi pœniteat, servos post funera Bacchi  
Innumeros Ditis dira vorago manet.  
Hic ubi percipient mixtas cum sulphure flammæ  
Ardentemque bibent ex Acheronte picem.  
Munus adhuc vivis scabies, morphæa, catarrus,  
Et qui concutiat membra caputque tremor.  
Lethiferæ febres, membrisque infesta podagra,  
Luminibus rubeis crebraque stilla cadens,  
Lepraque cum phthisi, vultusque hydrope tumentes,  
Pluraque quæ Parcas accelerare jubent.  
Non etiam Bacchi postremum est munus egestas,  
Rem quia non faciet qui solet esse bibax.  
Quid verbis opus est? Erit experientia testis,  
Propitium hunc quantum prosit habere Deum.  
Hanc igitur Baccho solennem ducite lucem  
Insani servos quos juvat esse Ducis.  
Evacuate cados atque impia quæque patrate,  
Est laus si vertat Gens studiosa cados.

Perdite

Postquam





Perdite sic vires, sic sumtus per dite vestros,  
Et Patriæ pœnas accumulate graves.  
Et dum pressa gemit variis Ecclesia damnis;  
Et dum Pontifices vimq̄, dolumq̄, parant;  
Cunctaq̄, dum tristes portendunt regna ruinas,  
Atq̄, notant finem non procul esse suum;  
Vos tamen intereà Festum celebrate Lyæo,  
Nullus & attingat pectora vestra dolor.  
Vt quondam excelsa cùm Christus ab arbore pendet  
Irato solvens debita λύτρα Patri,  
Intereà insani celebrârunt Pana Luperci,  
Totaq̄, tunc Baccho dedita Roma fuit.  
Quosq̄, Dei humanos vultus assumsit Imago  
Humanum redimens per sua λύτρα genus  
Deformate modis variis: Bacchi ista ministros  
Quæ Sathanam referat, forma venusta decet.  
Et struite insidias per ficta silentia muti,  
Perq̄, diem totum verba cavete loqui:  
Nocte tamen clamate, precor, concurrite ferro,  
Atq̄, intentatum non sinite esse scelus.  
Sint vobis comites anguino crine sorores,  
Et vobis stygius sit comes ipse Draco.  
Hic quoq̄, potando cùm corpora vestra peribunt,  
Et nisi vos tanget post malefacta pudor:  
Dona dabit vobis, quæ potis jure dabuntur,  
Et vos in stygias præcipitabit aquas.





Ye 3509.

ULB Halle

3

001 340 646




Sh

VD17


n. c.











Adhortatio  
AD CELEBRAN-  
DA BACCHANALIA, SO-  
LENNITATEM EIVS FESTI  
ET PRAEMIA ID DEVOTE  
*celebrantium breviter*  
*enumerans.*



VITEBERGAE  
*Excusa typis Simonis Gronenbergii.*

1 5 8 0.

